

4.





1661, 18

20

F! 38.  
De

F E D E R I B U S

PRÆSIDE

JOAN. SCHMIDELIO, Lips

PH. M. & J. U. C.

*Publicè disputabit*

Hans Joachim Reibold /

Eques Variuscus

Auctor

D. Junii A. C. M. DC. LXI.

H. L. Q. S.

JENÆ

Typis GEORG. SENGENWALD.



VIRIS  
GENEROSIS, ET MAXIMÉ  
STRENUIS  
Dn. JOH. CHRISTOPHORO

Reibold /

EQUITI, TOPARCHÆ IN Neuendorf/Strassberg/  
Rößnitz/und Kloßchwitz.

SERENISS. ELECTORI SAXONIAE AB OFFICIIS  
KAMERAE, ET FISCIPROVINCIALIS CH-  
RATORI SUPREMO

Dn. JOHANNI PHILIPPO

Reibold /

EQUITI, HEREDITARIO IN Reinsdorf/Rößnitz/  
Kloßchwitz und Bittenfürst.

DNI. PARENTI ET PATRUËLI MEIS LONGE  
HONORATISSIMIS

FILIALIS OBSERVANTIAE AC DEBITAE  
GRATITUDINIS

HOC QVAECUNQUE MONUMENTUM SA-  
CRUM ESSE JUBEO

JOH. JOACHIM Reibold /

A. O. R. ∞ 13C. LXI. PRID. KAL. JUN.



DISSERTATIO POLITICA

De  
FEDERIBUS

Præfamen.



Vicquid prudentiæ est Politicæ, ad tria hæc capita referri, Aristoteles, Philosophorum summus, lib. IV. Polit. cap. 14. docet, ad consultationem de rebus communibus, curam legendorum magistratum & judicia; ad primum pertinere deliberationem de bello, pace, federibus, legibus, morte, exilio, publicatione, & περὶ Ἰουδαίων, quod Grotius vertit, de repetundis, & interpretatur de iudiciis publicis, quatenus privatis, quæ tertio nominet loco, opponantur, lib. I. de Jur. B. & P. cap. 3. §. 6. Idem Grotius, non rectius quidem, ut putes, sed expeditius hanc rem distributurus, civitatem ab eo, qui ejus præest gubernaclis, aut per se regi dicit, aut per alios. Per se versari, aut circa universalia, aut singularia. Circa universalia, condendo leges, easque tollendo, tam circa sacra, quam profana. Quæ ars ab Aristotele dicitur δεξιτερὴ ἔργικη. Singularia esse aut directe publica, aut privata quidem, sed ad publicum ordinata. Publica esse vel actiones, ut pacis, belli, federum; vel res, ut vestigalia, & quæ his similia, quod & refert dominium eminens, ab ipso Grotio primum confictum, sed & fortassis verè fictitium. Hanc esse artem βασιλευσίου seu consultatricem. Privata esse res controversas inter singulos quas publica auctoritate dirimi ac componi publica intersit quietis, & hinc esse artem δικαστικὴν seu judicialem. Quæ per alium expediuntur, ea aut expedit per Magistratus, aut per alios curatores, inter quos & sint legati.



His in rebus consistere civitem potestatem. Caterum ubi me-  
diam illam seu deliberatoriam artē idem Philosoph<sup>us</sup> & πολιτικὴν  
alibi vocat, eo ipso haut obscure innuit, ut primam legumlato-  
ri, Cto postremam, ita hanc Politico impiis, ac jure veluti  
proprio curæ esse debere. Eapropter cum ego, qui hactenus,  
quantum per ingenium licuit, præceptis hujus excellentioris  
doctrinæ animum imbutum dedi, vires aliquando & profectus  
in publicum periclitari mecum constituerim, ex hac quoq; ci-  
vilis prudentiæ parte argumentum Politicæ Tractationis cape-  
re visum fuit, quod est de FEDERIBUS, quibus ut plurimum fa-  
tali ac crudelissima Rerum pub. peste extincta salus eidem ac  
secura civium felicitas restituitur. Fave, Benivole Lector,  
conatibus, & sicubi erra vero, quod summis etiam & sapientis-  
simis accidit, ignosce.

## CAPUT I.

De

### NECESSITATE AC UTILITATE FEDERUM.

**A**Ntequam verò ad penitiorum federum contemplatio-  
nem progredior, in majorem hujus argumenti comen-  
tationem de necessitate illorum & utilitate quadam  
prælibare haut abs re fore duxi, cum vel maximè non desuisse  
constet, qui exemplis quibusdam impiæ & exitiosæ confede-  
rationis absterriti, nihil aut parum illis tribuerint. Quæ exem-  
pla ut sanè non ignoramus, ita præceptis, fallax ac temerarium  
hoc judicium esse prorsus arbitramur, quo ob fatum, imprudē-  
tiam aut perfidiam unius alteriusve res optima ac saluberrima  
traducitur malevole & improbatur. Quid in rerum ordine  
tam bonum est, quod non aliquando noccat? Quam sapè, quæ  
commodo alicujus nata sunt, in exitium ejus vertuntur? Plu-  
via, fulmina, tempestates, ut seminum juvant incrementa ac  
promovent, sic non raro eadem impediunt. Nimirum nihil est,  
quod non casus, imprudencia, abusus corrumpere & in perni-  
ciam torquere possit. Et idèdè tamen abfit, ut nullum esse bo-  
num dicamus. Ipsum subtilioris Politicæ penum quam tam  
salu-

salutare confilium abscondidit, cujus vires non invidia fati aut  
 emeritis applicantis iteratis vicibus in excidium Reipub. ex-  
 citaverit, aut certe impotens reddiderit. Prudentia acutum,  
 ut quorumvis, sic civilium maxime, anima est, quæ sine diligen-  
 ti circumstantiarum inspectione non explicatur. Nocuit sane  
 sapius, sedus iniisse, sed fortean, quod non justo tem-  
 pore, aut cum perfido, aut duris admodum conditionibus sit  
 initum. Ubi mali causam non ad fedus referas, sed ad impru-  
 dentiam, aut certe occultas fati molitiones. A federe qui fa-  
 tus exeunt, non nisi saluberrimi esse possunt ac optima frugis.  
 Ipsum enim, quantumcunque est, ad unionem tendit, & mutua  
 vitæ auxilia. Atqui in his ipsis justitiæ votum, prudentiæ acu-  
 men, ac vera civilis vitæ beatitudo acquiescunt. Adhæc quæ  
 Respub. adeo felix ac potens est, quæ alterius non indigeat au-  
 xilio? Et esto, potentem adeo dari, an solis suis viribus in istud  
 magnitudinis fastigium excrevit? Natura, cum omnibus re-  
 bus imperfectionis quidpiam admiscuit, desiderio id societatis  
 videtur explevisse, ut ab aliis, quo ipsa destituta sunt, nancisci  
 cupida tenaci invicem amicitia nexu conjungantur. Scilicet  
 si quodlibet omni ex parte perfectum, ac sibi soli sufficiens al-  
 terius cujuscunq; adspernaretur consortium, non mundi uni-  
 us partes, sed mundos, quos Anaxagoras credidit, infinitos, na-  
 tura produxisset. Nec ab hac conditione rerum exemptas ci-  
 vitates esse, id argumento est, quo dicitur ipse societatis sensus pri-  
 mum illas collegit. Quæ sane collectio non potuit fieri in e-  
 um locum, qui aut munitis satis æmulum impetus vereri,  
 aut quibusvis natura dotibus instructis exterorum commercia  
 quarere opus non haberet. Et imò quo quæque regio natu-  
 ræ bonis aut ingeniis hominum feracior aliis est, eo magis ho-  
 stium excursionibus patere solet. Cum ediverfo, quæ in me-  
 dio rupium aut ipso maris æstuario nata sunt, fame rerumque  
 indigentia contabescerent, nisi ab aliis communicatione mer-  
 cium adjivarentur. Ut ita illæ ab his descendenda, hæ ab illis  
 sustentanda sint. Quæ omnia per federa impetrantur. Ac-  
 curate igitur non minus, quam vere in conventu Smalcaldico  
 Legatus Regis Gallia nullius populi vires tantas esse monuit,



ut diu stare possit ac florere, nisi finitimorum municeps sit amicitia & societas, apud Sleidanum lib. 9. Quod si Respub. suis non contenta finibus (prout sanè ea ingenii humani intemperies est, ut, quo plura habet, eo ampliora cupiat) devictis bello aliis magnitudinem imperii sui dilatare contendat, vori sui compos fieri sine federe nunquam poterit, quo aut incremento virium fortior, aut impedimento hostilis societatis securior fiat. Graviter de Repub. Romanorum Cicero: Novimus, inquit, Romam Urbem primo, & deinde temporum successu amicitia federibus cum extraneis populis non mediocriter auctam, orat. pro Balbo. Et, ut hoc tandem adjiciam, si excitatis inter civitates bellis, quod factu facile & frequens est, diu cuncta lucu confusa, & insontes populi jam ruinæ immitti requiem anhelant, nisi in federe demum afflictæ fortis suæ praesidium inveniunt, à fatali excidio non possent vindicari. Id quod Persarum Regi apud Procopium, lib. 2. Persicæ Legati Justiniani Imper. ad animum revocarunt: *ἐν τῷ μηδαμῶν ἀνένδεσθαι, πὲρ πολυμῶν ἀπέρωντα λελεῖσται πάντας. Πόλεμος δὲ, ὁ πέρας οὐκ ἔχων, ἐξοικίζει τῆς φύσεως τῆς ἀνθρώπων ζωῆς ἐς αἰετὸν πένοντα.* Sublatis federibus, sequetur, ut omnes inter se æterna bella gerant. Bella autem sine fine hanc vim habent, ut homines perpetuo teneant naturæ suæ extorres. Merito proin concludimus: Amicis federatisque carere nullum imperium potest. Facius, Polit. Liv. part. 1. art. 23.

## CAP. II.

### De FEDERUM NATURA SEU DEFINITIONE.

**D**E quorum necessitate disseruimus hætenus, illorum nunc consequens est naturam quoque videamus, à Definitione initium facturi. Nam, ut Cicero inquit lib. I. Offic. Omnis actio, quæ à recta ratione suscipitur, à Definitione proficisci debet, ut intelligatur, quid sit id, de quo disputatur. Sic autem fedus definiemus, quod sit conventio publica inter Principes aut civitates liberas de mutuis auxiliis  
aut



aut alia quapiam re sibi præstanda solemniter facta. Cujus le-  
 gitimitas ex sequenti forte *in quibus* adparebit. Genus fecimus  
 Conventionem Publicam, prælucente Ulpiano, qui in l. i. §. i.  
 \* de Pactis conventionem ait ad omnia pertinere, de quibus  
 negotii contrahendi transigendique causa consentiunt, qui in-  
 ter se agunt. Ergo & ad federa pertinebit, in quibus idem ac-  
 cidit. Deinde in l. §. eod. conventionem in publicam priva-  
 tamq; divisam esse inquit, quæ sit per pacem, quoties Duces  
 belli inter se paciscuntur. Quæ verba non Definitionem, sed  
 exempla saltem conventionis publicæ exhibent. Nam certum  
 est, conveniri publicè etiam inter eos aliquando posse, qui  
 nunquam bella gesserunt. Porro nec cum federe, quod qui-  
 dam putant, reciproce converti possunt, cum pari pacto & fe-  
 dera sæpe fiant sine prævio armorum strepitu, & Duces belli  
 pacisci inter se possint, non ictu tamen federe. Puta, si non  
 summi rerum arbitri sint, sed ab alia sublimiori potestate de-  
 pendeant. Tunc enim, si quid contrahunt, sponsonis sal-  
 tem, non federis vim habet, nec fedus, sed societas inita cen-  
 setur. Vide, quo ad sponsonem, Livium lib. 9. in primis Ora-  
 tionem Caji Pontii, cap. ii. De societate idem Livius lib.  
 XXIV. cap. 6. Hieronymus legatos Carthaginem misit, ad fe-  
 dus ex societate cum Afrubale faciendum. Ex quibus si-  
 mul adparet, quemadmodum hæc tria, pax, Societas & fedus  
 inter se differant, quæ tamen sæpius promiscue videas usurpa-  
 ri. Pax quidem, si originem vocis spectes, quæ pacitioni æqui-  
 valet, latissimam habet significationem, d. l. i. §. 2. usu tamen,  
 optimo vocum arbitro, eam conventionem exprimit, qua bel-  
 lorum motus componuntur. Sæpe etiam statum Reipub. ab  
 armis quietum significat. Tacitus lib. IV. Histor. cap. 6. In tur-  
 bas & discordias pessimo cuique plurima vis: Pax & quies bo-  
 nis artibus indigent. Societas autem quamquam omni fede-  
 ri aptari possit, alias tamen conventiones publicas, quæ federa  
 non sunt, ambitu quoq; suo complectitur. Federis vicem susti-  
 ner apud Livium lib. XXVI. cap. 96. ibi Scipio Africanus ad  
 obsides, Populum inquit Romanum exterar gentes fide ac  
 societate junctas habere malle, quam tristi subjectas servitio.  
 Cæterum

Ceterum ab amicitia publica, quæ ipsa quoque cum eo sapè  
confundi solet, quemadmodum fœdus differat, colligere est  
l. postliminii. §. 2. de captiv. & postlim. Sed hæc *ut supra*.  
Ad Jctum revertimur, qui duobus illis exemplis mentem suam  
circa conventiones publicas satis explicat, quasi tunc fiant,  
quoties quidam auctoritate publica instructi, negotii ad statum  
seu jura Reipub. pertinentis contrahendi transigendiq; cau-  
sa, consentiant, arg. d. l. 1. §. 3. & l. 1. §. 2. de J. & J. Quod ipsum  
& in federe fieri deprehendimus, atque hinc non dubitamus,  
legitimum federum genus conventionem publicam à nobis  
adsignatam. Formale seu differentiam specificam sequentia  
in definitione constituunt, quæ sequentibus capitibus examina-  
bimus. Istud saltim adhuc moneam, abusive interdum fede-  
ra conventionibus quoq; privatis tribui, quarum sanctiorque  
federis novi &c. pro gratia & amore denuo coeunte inter Try-  
phænam & Gironem, ut notat Interpres. Sic pro Conjugio  
Claudianus lib. II. de raptu Proserp. tangensque cubile Omnia  
perpetuo genitalia federe sancit; prout hunc locum restituit  
Dempsterus. Arnobius lib. IV. contra gentes: uxores Dii ha-  
bent, atq; in conjugalia federa veniunt, conditionibus antea  
quæ sitis, usu, farre, coemptione. Adde Symmachum lib. IV.  
Epist. 14.

### CAP. III.

#### DE SUBJECTO FEDERUM.

Cùm autem federa conventiones de præstando sint, ut in  
definitione dictum est, adeoque obligatione aut utriusq;  
aut ex parte alterutra inducant, nunc porrò consideremus,  
quis nã, & cui, obligari illis possit. seu, ut more scho-  
lastico loquar, quod illorum sit subjectum. Quod Civitatem  
esse liberam, sui juris, nec superiori subjectam potestati, inter  
omnes, quantum sciam, hætenus convenit. Ubi verò civitatis  
nomen, non, ut quibusdam placet, pro confusa hominum mul-  
titudine accipimus, nullo ordine, nec spiritu, unde perfectio  
civilis

civilis societatis constat, informata. Neque enim hoc sensu vel Aristoteli hanc vocem usurpatam, egregiè adstruit Amplissimus Dn. Conring. Introd. in Polit. Aristot. cap. 4. p. 597. ubi inter alia: Non enim verum est, inquit, quod multi scribunt, civitatem esse materiæ instar, cui Respub. sit pro anima; civitas enim significat totū quid, sicut animal significat integram substantiam animatam. Ideoque si dissociatam hominum multitudinem hodiernum dari contingat, qualis olim Cyclosum illa, aut Bebriciorum Aboriginumvé, cum *πρωτογενῶν* illud *αυτοκρατορίας*, Philoni sic dictum, in unitatem gentis tanquam corporis moralis, eam non coëgerit, adeoque nemo alterius promisso imperioque teneretur, nec fedus cum ea, sed fortè conventiones cum singulis, si cuius intersit, iniri possent. Federa autem inter solas gentes liberas consistere, ex eo validè probatur, quod illorum jus gentes sibi primo, suæque utilitatis gratiâ, ac intuitu societatis illius publicæ inter diversos summoque distinctos imperio populos colendæ constituerint. Cùm igitur juris alicujus beneficio gaudere non possint, nisi quibus & quorum gratiâ id introductum est, nec societas illa, quæ personam gentis, hoc est, liberæ civitatis in hoc orbe non sustinet, de jure federum participabit. Planè ut jura civilia Romanorum non nisi ad eos pertinebant, qui cives erant Romani. Hinc Cicero Philipp. 4. hostem quasi per notius definiturus illum esse inter alia inquit, qui rationem habeat, si res ita tulerit, pacis & federis. Atqui constat, populum Romanum solennia bella & tanquam cum hostibus non consuevisse gerere, præterquam cum iis, qui liberæ civitatis jure censebantur, reliquis aut pro latronibus habitis, aut pro privatis. Sic cum Cæsar, Civis Romanus & Imperator Romani exercitus condiciones pacis Senatui offerret, M. Cato, moriendum antè censuit, quam ullo modo ita cum cive pacisci, quod sic de Majestate publica aliquid immunitum iri vereretur. Vellej. Paterc. lib. II. cap. 49. Adde insignem locum apud Dionem in Orat. Cic. adversus Anton. lib. 45. Ceterum cum omnis obligatio duo subjecta habilia necessario requiratur, unum, cui obligatur, & alterum, in quo fit obligatio, inde ultro adparet, eas conventiones, quibus

B

duo

duo populi, quorum quilibet suum habuit *re ipsa*, in formam  
unius imperii coeant, ut Sabini cum Romanis, aut unus, amis-  
sa libertate civili, alterius se subjiciat potestati, federa dici  
proprie non posse. Nam priori casu, cum e duabus una vel-  
uti Majestas & Respubl. fiat, ut Livius loquitur, lib. I. c. 13. ea  
sola federe sibi non tenebitur, cum a ratione absolum sit, ut i-  
dem sibi obligetur. Nisi forte pactum de uniendo aliquan-  
do, aut in casum existentis conditionis imperio sit initum, quia  
enim tunc liberae interim & distinctae Respubl. manent, nihil  
obstat, quo minus federe tamdiu obligatae sibi invicem esse  
possint. Quae unio, tamen si non fiat, ubi unius Reipub. Princi-  
pi administratio alterius quoque committitur, ut Karolo Hi-  
spaniae Regi imperium Romanum, utrum tamen inter ejus-  
modi populos federa sanciri possint, ratio dubitandi haec est  
quod in regn's Regum sit, fedus facere Vid. cap. seq. Cum au-  
tem hoc casu, unus utrobique Rex sit, & verò negotium, quod  
consensu seu conventionione perficitur, secum gerere nemo pos-  
sit, videtur sane facultas ineundi federis, si non perempta, certe  
haec communione imperantis ab agendo impediri. Sed ma-  
gis tamen est, ut iniiri posse, si res ita ferat, dicamus. Ut enim  
alias ubi forte per naturam negotii aut casu aliquo Regis desi-  
ciunt partes, ita fieri necesse est, ut populus, aut qui vice popu-  
li est, in curam Reipub. succedat, ita & hic nihil impedit, quo-  
minus Rex pro ea civitate, cujus forte id fedus fieri maxime  
interest, cum populo aut Primatibus alterius civitatis agat, &  
ipse tamen pro eminentiori jure suo totum negotium mode-  
retur. Posteriori casu, quo populus antea liber alterius po-  
testati subjicitur, cum ea conventionione jus imperii parti subje-  
ctae extinguatur, certe fedus eam dicere non poteris, cujus jus  
a salvo & integro jure imperii dependet. Hinc Livius lib. II. X.  
cap. 31. ubi de subjectione Campanorum agit, haec duo distin-  
guit, *federe & deditione in fidem venire*. Sic in consilio L. Corne-  
lii Lentuli de re Carthaginensium apud Appianum lib. XIV.  
haec inter alia: Permittant Carthaginenses se arbitrio nostro,  
ut victi solent, & multi antehac fecerunt: videbimus deinde  
nos, & si quid fuerimus largiti, habebunt nobis gratiam: neque  
enim

enim fedus dicere poterunt. Vide, quæ ibi sequuntur. Quæ libertas tamen civilis aut jus imperii non tollitur, ubi inæquali conditione, forte, ut altera pars protectionem & patrocini-um, reverentiam altera exhibeat, aliove simili pacto in fedus itur. Vid. cap. 6. Hinc Sylla apud Appianum in Mithridatico hæc duo: *Ἐπιπροσώτοις, καὶ ὑποταλαίς*, sub patrocinio & sub ditione, distingvit. Et præclare Proculus in l. non dubito 7. pr. ff. de Capt. & possim. Quemadmodum, inquit, clientes nostros intelligimus liberos esse, etiam si neque auctoritate, neque dignitate, neque jure omni nobis pares sint: sic & eos, qui Majestatem nostram comiter observare debent, liberos esse intelligendum est. Ubi nota argumentum à libertate personali ad civilem. Quæ igitur conventiones federa dici non respuent. Diximus hæcenus, solis civitatibus liberis, nec alterius subiectis imperio cum federibus rem esse.

Quâ ratione autem Statibus Imperii nostri federa cum vicinis exteris pro sua cujusque securitate, ut aliàs, ita & in novissima Transactione Osnabrugensi Cap. 7. ferire concessum sit, juris Publici Consultis relinquimus disquirendum. Vid. Theod. Reinking. de Regim. Sec. & Eccl. lib. II. cl. 3. cap. 3. n. 26 seqq.

#### CAP. IV.

De

#### CAUSA EFFICIENTE FEDERUM.

**Q**ui federe civitatem obligant, Personæ vel principales sunt, vel minus principales, quo & mediatorias referunt. Principaliter id eorum est, qui summi imperii exercendi jus in ea habent. Nam ratione summi imperii hoc jus civitatibus esse, jam adstructum dedimus. Ergo in regnis Regum id erit. Vide Joan. Marianam lib. XXI. H. H. cap. 1. Euripides in supplicibus: *τὸν δὲ δ' οὐκ ἴναί γε λέων ἄδρασον ἔτι κύριον πύργου, ἂν πάσης ὑπὲρ γῆς, Δα. αἰδῶν ἐρηνοποιεῖν*. Adra-  
stum hunc opus Jurare: namque is jus habet regni potens, ut civitatem federe obstringat suo. Quod si rex ejus ætatis aut mentis imminutæ sit, ut res imperii moderari nequeat, federa

illi faciunt, qui tutelam interim aut vicariam administrationē  
sive à parente mortuo, proximis vè agnatis in rēgno merè pa-  
trimonialis, sive à populo, ubi hujus liberior conditio est, dela-  
tam habent. Quæ distinctio in regna mere, vel minus, patri-  
monialia tenēda quoque est, ubi de Rege captivo, qualis Fran-  
ciscus Gall. R. (vide Guicciardinum lib. XVI. Hist. Ital.) quæ-  
ritur, an ejus quoque cum victore initum fedus civitatem te-  
neat. Conf. Grotium lib. III. de J. B. cap. 20. §. 3. In liberis  
Rebuspub. consensus procerum aut populi, interpretibus Tri-  
bunis, fedus constituit. Apud Salustium de Romanis legimus:  
Senatum ibi, ut par erat, decrevisse, suo sui que populi injustu,  
nullum potuisse fedus fieri. Cum sic autem re in plurium po-  
sita arbitrio, ut plurimum accidat, ut non idem cunctis senti-  
entibus opinionum divortium fiat, si major consulentium pars  
in sanctionem federis consentiat, validum id erit, etiam quoad  
eos, qui dissenserunt. Apud Xenophontem dicitur: *ἐκ τῆς*  
*μικρότης πρὸς ἀλλήν πένοντα*, omnia agere secundum eam sententi-  
am, quæ vincit. At manifestè iniquum est, ut pars minor vin-  
cat majorem. Appianus: *ἔστι δ' ἐν τῆ χειρὶ τοῦ καὶ δικαιοῦ ἀεί τοῦ*  
*πλείον δικαιοῦτερον*, tam in comitiis, quàm judiciis vincit pars  
major. Plinius lib. VI. Epist. 13. Quod pluribus placuisset, cun-  
ctis tenendum. Adde Aristotelem lib. IV. Polit. Cap. 8. & lib.  
VI. cap. 2. è nostri verò temporis scriptoribus, Cl. Boetlerum,  
duplici dissertatione: una de calculo Minervæ, ubi cum primis  
docet, quid tum sequendum sit, si paria deliberantium sint vo-  
ta; altera ad lib. III. cap. 1. Polit. Arist. de eo quod civitas egit.  
Personæ minus principales sunt, quæ jussu eorum, quos penes  
summa in Repub. potestas est, de federe, cum alio Rege popu-  
love, procuratorio nomine agunt, ut forte legati. Id apud Ro-  
manos proprium ferè Fetialium erat, quorum Princeps erat,  
quem vocabant Patrem Patratum teste Servio ad lib. IX. *Æne-*  
*id.* Adde Varronem lib. II. de Re Rust. cap. 4. & Quintilian. lib.  
VII. instit. Orat. cap. 3. Frequentissimè etiam, ubi difficilior  
federis impetratio est, aut ubi utraque pars ignominia sibi fo-  
re putat, si maximè post armatas contentiones, pacem peteret,  
aut ipsa ultrò prævalenti parti nimium concederet, aliarum  
Rerumpub.

Rerumpub. moderatores, vel etiam tales personæ se interponere solent, vel, ut se interponant, rogantur, quarum autoritas vel gratia plurimum utrinque, & præsertim apud eam, cujus societas expeditur, valet. Quo in negotio feminas sæpè utilem operam locasse, passim memoriæ proditum est, præsertim in federe Cameracensi, ope Margaretae & Loysa Sabaudia Caroli inter, & Franciscum pacis. In quibus tamen eligendis suscipiendisve magna cautione opus est, ne ita summâ rerum ipsis concessâ, suæ potius utilitati & affectibus, quàm eorum, quorum patrocinium susceperunt, salutem indulgere possint. Quæ neglecta Joannem Albretanum Navarrae regno exiit, apud Ferronum Histor. libr. IV.

CAP. V.

De

FEDERUM OBJECTO.

**P**orro in Definitione dictum est, de mutuis auxiliis, aliavè quapiam re invicem præstanda federa fieri. Quibus verbis objectum federum confusius continetur. Distinctius, ut ferè solet, laudatus Grotius federa aut id constituit inquit, quod juris est naturalis, aut nonnihil ei adjicere. Juris naturalis esse cognationem à natura inter homines gentesque introducendam, secundum quam nefas sit, alterum ab altero lædi. Quæ juri naturæ aliquid adjiciant, vel æqualia esse, vel inæqualia. Utraque aut pacis, aut societatis alicujus causa fieri. Æqualia pacis esse, quibus de restituendis captivis, rebus captis, dandis utrinque obsidibus, aut aliis ad securitatem facientibus caveatur. Æqualia societatis aut ad commercia pertinere, aut ad belli communitatem, aut ad res alias. De commerciis esse pactiones, ut liberè negotiari liceat, ne vestigal ullum, aut ut ad certam quantitatem solvatur. In bellica societate, ut auxilia præstentur paria equitum peditum, navium, sive ad omne bellum, Græcis *συμμαχία*, sive ad certum, sive etiam ad tuendos fines, Gr. *ἑνωχία*. Inter alias res enumerat, ut ne in confinio arces liceat habere, ne subditos alterius defendat, ne iter alterius hosti præbeat. Inæqualia promitti

B 3

aut



aut ex parte digniori, aut ex minus digna. Ex digniori, si quis auxilia promittat nec resipuletur, aut majora promittat. Ex parte indigniori aut cum imminutione imperii promitti, aut sine ea. Cum imminutione, ut ne cui bellum faciat injulsi partis alterius. Sine diminutione esse aut transitoria, aut manentia. Transitoria de solvendo stipendio, de mœnibus diruendis, ut locis quibusdam decedatur, ut dentur elephanti, naves &c. Manentia, ut de Majestate comiter colenda, ut hostes & amici habeantur, quos velit partium altera, ne cui exercitui, cui cum altero bellum sit, per fines transitus comiteatusve detur; ne arces certis locis edificare, ne exercitum ducere, ne naves habere ultra numerum definitum, ne urbem condere, ne navigare, ne militem certis locis conscribere liceat, ne focios oppugnare, ne comiteatu hostes juvare, ne recipere eos, qui aliunde veniunt; ut federa prius facta cum aliis dirimantur; & ejusmodi federa inæqualia non tantum contrahi inter victores & victos, sed etiam potentiores & impotentiores, etiam qui bello inter se non sint experti. Hæc ita Grotius lib. II. cap. 15. §. 5. seqq. quæ exemplis ac plurium forte specierum actuario illustriora reddere constitueramus nobiscum, sed tempore nunc & angustiis instituti limitibus exclusi de Bellica Societate, cujus & solius mentio in Definitione ex fertim facta, quod frequentius ob eam, & maximo sæpe periculo in fedus civitates cogi videamus, *ne quislibet* quædam strictim & veluti per Saturam duntaxat hæc adnotabimus. Ut distingvamus interest, societate quis cum altero jungi querat, an ipse ab alio ad contrahendam eam provocetur. Hoc casu, nisi omnino ac evidenter Reipub. suæ interesse existimetur, incautum foret, alienis malis temere se implicare. Procopius Vandal. lib. I. tempestivè monet, honesto convenire, ut quod ipsi obtigit imperium, administret, ac ne alienas curas in se trahat. Ut quis privatus, inquit Didacus Saavedra Ideâ Bon. Princ. Symb. XLVII. periculum subeat, egregium facinus est, & laude dignum: at reprehendendum in Principe, si salutem publicam adducat in discrimen pro salute alterius Principis sine sufficienti emolumento & ratione statûs. Ideo quæ apud Salusti-  
um



um in Jugurthino Metellus Bocchum horrat, ne florentes res  
 suas cum Jugurtha perditis misceat. Certè Sebastianus Lus-  
 itanus, dum opprimi noluit Mahumetem Mauritianum, ipse  
 oppressus perit, apud Thuanum Hist. lib. LXV. Nisi tantum di-  
 scrimen non contractura videatur innocentis ab impia op-  
 pressorie liberatio. Tum enim forte Democriti illud locum  
 habeat: *Αδικημένοισι πικροεῖν κατὰ δύναμιν χεῖρ καὶ παρμέναι, το  
 μὴ γὰρ τοῖσι δὲ πασι καὶ ἀγαθόν:* injuria oppressos defendere  
 pro viribus oportet, & non negligere; illud enim justum bo-  
 numq; est. Interesse autem præcipuè potest Respub. si vel am-  
 plissimi commodi lucrum ipsi acquiratur, vel obrepturum ali-  
 oquin sibi malum declinetur. Lucri spem præbent e.g. opi-  
 ma de victis hostibus spolia, faciles victoriarum successus, am-  
 plæ in vicem auxiliari oblationes, navigationum ac commer-  
 ciorum liberior usus, ob quæ posteriora nunc credo Anglum,  
 nisi capta præsumtus finis destituat, cum Lusitanis vires socia-  
 turum. Quorum tamen ita ratio habenda erit, ne dum sordes  
 venatur, famam cum conscientia eat perditum. Neq; enim  
 vel ab impietate, si causa, cui accedendum putat, iniqua est, vel  
 à perfidia, si contra amicum societas ejus expetatur, hæc fami-  
 liaris rei ratio excusare illum poterit. *Χρὴ Φίλοις καὶ ἐχθρῶν  
 συμμαχεῖν, ἔκαστῳ Φίλων:* amicis auxilia ferenda contra hostes,  
 non contra amicos; judicat Ptolemaus Atheniensis apud Ap-  
 pianam in Legationum excerptis. Et prius Arcadibus à Dio-  
 nyfio Milesio ita exprobratum legimus: *ἀγορῆ πολέμου ἀνέκη-  
 ται, ἢ τῶν ἐλλήνων ἢ τῶν ἀρκάδων τριφει καὶ ἀδέρχεται πο-  
 λευῶν αἰτίαν ἑσὶ ἔχων:* Belli nundinæ exercentur, Græco-  
 rumq; mala fructuosa sunt Arcadibus, & sine causarum respec-  
 tu modo huc, modo illuc arma circumferuntur. Periculum  
 autem, quod ex alieno bello civitati imminere potest, vel hoc  
 gravissimum est, si ejus incendium absumptis a dibus vicinis ad  
 eam quoq; trajecturum tandem appareat. Quo casu non vi-  
 cini, sed ipsius rem agi credere, & quod monet Poeta, ne ne-  
 glecta sumant incendia vires, cavere prudentis erit. Apud Li-  
 vium lib. VII. cap. 30. Campani Romanis fatentur, adversus  
 Sannites se pugnasse, verbo quidem pro Sidicinis, re autem  
 pro-

pro seipſis, quod viderint, ubi conflagraſſent Sidicini, ad ſe per-  
venturam quoq; calamitatem. Et ſane ubi majori virtute in-  
firmior adhuc hoſtis integro patriæ ſtatu ac nitore opprimi &  
debellari poteſt, quæ ſocordia, vel, ut molliſſi ſe dicam, quæ  
imprudencia foret, non niſi in regionis ſuæ pen- tralia rece-  
ptum, proximaque victoria longè auctiorem inter turbas exi-  
gua & diſjeſta confuſione civium manu reprimere, nedum op-  
primere velle? Fatale illud Italiæ, ac totius prope terrarum  
orbis jugum, quod armis ſuis affabre confeſcerant Romani,  
nullo frangi negotio ac diſſipari potuiſſet, ſi diviſi per Latium  
populi collatis in commune conſiliis non ſinguli, ſed univerſi  
unitis viribus illatam ſibi injuriam vindicare maluſſent. Nec  
eſſet fortè, quod ſuperbas nunc Turcarum minas, feraleſq; ir-  
ruptiones uſque adeo vereremur, niſi reliqui Europæ Proce-  
res elapſis ſeculis Imperii Orientalis & ſuperioris Ungariæ ja-  
cturam præſenſq; excidium tam æquo animo tuliſſent. Sed  
ſatis talium; ad rem redeo, qua dixi, hoc rerum ſtatu utiq; haut  
deſerendos eſſe, qui auxilia noſtra implorant. Sed, ut diſcos  
caſus repetam, ſi vel is, qui bello petitur, juſtam illi cauſam ipſe  
injuſtus præbuit, vel is, cujus ſuſpecta vicinitas, viriumq; incre-  
mentum rei noſtræ obſuturum præmetuitur, antiquioris fe-  
deris vinculo nobis ſit obſtrictus, an juſte tum quoq; & illaſa  
conſcientiâ deſideranti auxilia ferentur? Species priori pau-  
lo intricatior, ſed quam non niſi è communi ſuſpicionum jure  
expedias. Nimirum ut ſalutis non quælibet ſuſtinendæ ſaſ-  
ſonis conjectura juſta & ſufficiens vindictæ cauſa eſt, ita ne heic  
ſtatim ob eandem rumpere fidem, aut injuſtæ cauſæ patrocini-  
ari licebit. Quare quod Albericus Gentilis lib. i. de Jure  
Belli, cap. 13. indefinite ſtatuit, jure Gentium juſte arma capi ad  
infringendam potentiam creſcentem, quæ nimium aucta noc-  
cere poſſit, vereor, num admitti debeat. Το μέλλον, inquit  
Thucydides lib. i. ἐν τῷ Δαυεί ἐπὶ κείται, καὶ ὅτι αἱ εἰς ἀναρπῆτας  
αὐτῷ Δαυεῖον εἰς ἄγαν ἦδη καὶ ἡ μέλλουσα κήσουσθαί. Futurum  
in incerto adhuc eſt: nec quemquam oportet eò commotum  
inimicitias ſuſcipere, non jam futuras, ſed certas. Quam tamen  
certitudinem non ex ipſo demum hoſtilis irruptionis impetu  
defini-

definitam, velim sed omnino, secus forte ac in defensione privata, etiam ex signis, confessione, apparatu, aliave legitima presumptione conceptum injuriarum metum maturiori consilio occupare prudentis cum Tyrone judicem. Ejus hæc apud Gellium sunt verba: Beneficia promissa opperiri oportet, neque ante remaneri, quam facta sunt. Injurias autem imminentes præcavisse justum est magis, quam expectavisse. Summa enim confessio stultitiæ est, nõ ire obviam sceleribus cogitatis, sed manere oppeririq; , ut, cum admisa & perpetrata fuerint, tum denique, ubi, quæ facta sunt, infecta fieri non possunt, puniantur, lib. VII. Noct. Attic. cap. 3. Cujus generis indicia forte erunt communio causæ, ut si e.g. ob odium religionis, quam cum vicino eandem profitemur, vis ei inferatur, cogitata & certæ comminationes, perfidus, ambitiosus, & cuncta desiderio imperandi devoraturus animus, exempla in aliis probata; ac universim eiusmodi metus requiritur, cuius, ut J. Cui loquuntur, non nosmet ipsi, sed is, cuius potentiam veremur, auctor est. Quo tamen casu forte excusatio erit vetustioris amicitia ruptura, si prius amice admonitus tamen à captis desistere, aut nobis eò nomine sufficienter cavere noluerit. Non abs re quoque futurum censebitur, si eius locus esse poterit, consilium Hieronis, qui, teste Polybio lib. I. socius atque amicus Populi Romani metu Ro. potentia Carthagenensibus omnia, quibus in bello opus habebant, liberaliter, sed clam maxime, subministrabat. Sed hæc fere rectius ad caput ultimum pertineant. Atque hæcenus, quantum licuit, de iis, qui opem afflictis ferre rogantur. Ad illos nunc pergamus, qui sollicitant eam. Quibus primum Ennii illud velut è Tripode acceptum in aurem insusurramus: Ne quid expectes amicos, quod tu per te agere possis. Præterquam enim quod attentius longè atque strenuè ab iis, quorum res præcipue agitur, arma ferè tractentur, quod docet Aristoteles lib. III. Ethicorum, cap. 8. Conf. Curtium lib. IX cap. 2. & Jac. Zevecot. ad Julium Sveton. c. 4. mirum dictu est, quæ incommoda, pericula, impedimenta, injuriæ, præensiones ac graviorum, sæpe bellorum semina cum

C auxi-

auxiliaribus eiusmodi copiis adscisci soleant. Vide eleganter eundem Zeyecotium Not. Polit. ad Flor. cap. 17. lib. 1. Hac procul dubio respexerunt, nec sine successu Athenienses apud Justin. lib. III. cap. 2. & 7. Catero qui si tantum virium nostrarum esse non adpareat, quod sufficiat sustinenda tantæ molli- omnia prius tentari suadeam, ut quibuscunque conditionibus cogitata expeditione declinata aut omissa pax conservari queat, quam sub alienæ potentæ præsidio ancipiti belli alea se committere. Cum Romani ad bellum, cui se non sufficuros Ætoli putabant, aceingerentur, Principes eorum auctore Phanea prætorè concilio convocati, omnes censuerunt, ut pax, si posset, æquis si minus, tolerandis conditionibus peteretur, apud Livium lib. XXXVIII. cap. 3. Quod si demum ea est hostilis ferocia pertinacia, ut ab ea nihil neque pacto, neque precibus impetrare liceat, atque sic imperata armorum necessitate vires nostræ, cum ipsa pares non sint, cum aliis conjungi è re videatur, nunc porro circumspicè deliberandum erit, cujus tum auxilio quam tutissimè & efficacissimè uti conveniat. A quo peti illud potest, vel inferior petente est, vel superior, vel certe æqualis. Ab inferiori tutissimè accipi credam, si in promptu sit, & sufficiat, ne aliàs contra monitum Adriani Imper. in parietem caducum inclinent, & quærant, cum qua gente cadant, Lucaa. Pharsal. lib. VIII. Equidem Mithridates gentibus societate, quam ut totum penè orientem ac septentrionem sua involverit ruina, Florus lib. III. cap. 5. Sæpe etiam inferior in fedus solet adsumi, non tam, ut adeo profut, impedimento sit. Multos idè ut socios coluisse Romanos constat, quos facile jugo suo subjicere potuissent, vid. Cl. Dupræsidis Not. ad Disp. I. Boxhorn. lit. 2. Et Gallos multoties ac Hispanos Sabaudi, Florentini, Venetorum, Genuensium aliarumque in Italia Civitatum amicitiam certatim ambivisse vulgo notum est; vide passim Gvicciardinum. Cum superiore autem suspectam ferè & vix tutam crediderim conjunctionem.

nem. Livii præceptum est lib. XXV. cap. 33. non ita credendum externis auxiliis esse, ut non plus tui roboris tuarumque propriè virium in castris habeas. Idem inculcat Vegetius de re milit. lib. III. cap. 1. Idque duas maximè ob rationes. Primò quia ut plurimum in rem suam succurrunt, & ubi hostem strennè prostravere, in ipsos quoque socios gladios fringunt. De Romanis ipse testatur Cicero lib. III. de Repub. & Cæsar apud Dion. Cassium lib. XXXVIII. eos sociis defendendis terrarum omnium peritos esse. Atque idem de omnibus, qui unquam imperium obtinuerunt, affirmat apud Thucydidem Alcibiades Histor. lib. VI. Cùm Gætorum quondam ope devictus esset Seleucus, in ipsum postea Antiochum, cui adjutum venerant, arma vertere. Ptolemæus Egypti Rex sub specie fororis ultionis Asiæ inhiabat. Alexandro Macedonia Regi vel vocasse saltem Demetrium capitale fuit. Apud Amm. Marcellinum lib. XXVI. Procopius Constantii Imper. filiam parvulam cum matre Faustina legitè secum circumtulit, quò prætextu tutelaris pietatis imperium facilius ad se rapere posset. Turcas in belli societatem contra Græciæ Principes vocavit Joannes Palæologus, qui, bello confecto, cum vires etiam victoris afflictas illi notassent, Thraciam invasere, ac ab eo semper tempore intestinis aliorum discordiis uti edocèi provincias quamplurimas jugum Othomannicum ferre cõegerunt. Superiori seculo cum ob Algeri regnum duo inter se fratres certarent, pyrata Horuc uni succurrit, eaque occasione usus post occisum alterum etiam illum vita & regno exiit. Et quis non indignetur, parili pacto & Britannos ab Anglo-Saxonibus, Hierosolymitanos à Saladino, Hibernos ab Anglis, Apulos à Normanis, Italos à Gallis & Hispanis, Frisios occidentales à Saxonibus, alios ab aliis, aut oppressos aut insidiis appetitos fuisse? Junge, quæ notat Nobilissimus Bœclerus in annotatione Politica ad lib. III. Histor. Tac. cap. 5. Deinde si vel maximè absque hoc subjectionis periculo est, tamen debilior majori adeo obnoxius redditur, ut in omnibus actionibus & consiliis nihil se non auctore audeat, & impu-

punè injuriis afficiatur, sub defenfa libertatis imagine in mi-  
ferrimam fervitntem redactus, quæ vel ideo miferior, quod  
qui eâ premuntur, liberos se tamen esse existimant, & re pri-  
vari sp. cioso & nudo tantum nomine blandiuntur sibi & con-  
gratulantur. Vide præfatum Zevecotium Not. in Cæfar. cap.  
4. Sed rumpendum filum, quod nimis latè decurrit. De æqua-  
libus hoc faltem sub jicio, inter eos, ut amicitiam, sic societatis  
fedus tutiffimum esse: juxta illud Solonis: τὸ ἴσιν πόλεμον  
πρὸς τοὺς φίλους, apud Plutarchum in ejus vitâ, cap. 18.

CAP. VI.

De

FORMA FERIENDORUM  
FEDERUM.

Diximus quoq; federa esse conventiones solemnitate qua-  
dam factas. Quæ solemnitas spectatur vel in constitutio-  
ne, vel confirmatione & promulgatione. Circa constitutionē  
ubivis ferè observari solet, ut capita conventionis in scriptu-  
ram redacta utrinq; obfignarentur. Romanos ea in mappis  
linteis seu linteâ tela inductis aliquando exarasse è Livio ad-  
paret, lib. IV. cap. 7. quemadmodum & leges, aliaq; publica  
acta in lisdem solebant concipi. L. 1. C. Theod. de alimentis, quæ  
inopes par. de publ. pet. inquit Constantinus Augustus: En eis  
tabulis vel cerussatis, aut linteis mappis scripta per omnes ci-  
vitates Italiae proponatur lex, quæ parentum manus à parrici-  
dio arceat. Confer C. Plinium lib. XIII. cap. 11. De obfignati-  
one insignis locus est Seneca, lib. III. de Beneficiis, cap. 15. uti-  
nam, inquit, pacta conventaque non impressis signis custodi-  
rentur: fides potiùs ea fervaret & æquum colens animus. Sic  
Petronius: Tabulas federis signat. Adde Paulum V. Sent. tit.  
25. Concepta hoc modo juramento plerumque firmabantur  
& execrationibus, quibus Deos iratos fallenti comprecaban-  
tur, Plutarch. in *Alfotiois*. Cujus formulam exhibent Polybius &  
Festus: SI SCIENS FALLO, ME DIESPITER, SALVA  
URBE-

URBEQVE ARCEQVE BONIS EHCIAT, UT EGO NVNC  
 LAPIDEM: nempe Silicem, qui cum scepro, per quod æquè  
 Romani jurabant, in Templo Capitolino adservabatur. Hinc  
 genus loquendi: per lapidem jurare. Augustinus c. 2. c. 22. q. 5.  
 Adde Cujacium lib. I. Obs. c. 21. & Hanfenium de jurejurando  
 veterum, cap. 12. Et pronuciari ferè solebar coram aris &  
 inter victimas Deorum. Æneas apud Virgilium lib. VII.  
 Tango aras, mediosque ignes, & numina testor. Sic Agatho-  
 cles Syracusanus Prætor Amilcari expositis ignibus cereis ta-  
 ctisque in obsequia Pœnorum jurabat, Justin. lib. XXII. cap. 2.  
 Plenior formula apud Livium extat inter cædendum hostias  
 prolata. lib. I. cap. 24. Audi Jupiter & c. illis legibus populus  
 Romanus prior non deficit, si prior defecerit publico consilio,  
 dolo malo, tu illo die Jupiter Pop. Romanum ita ferito, ut ego  
 hunc porcum hodie feriam. De porco rationem vide apud  
 J. Lipsium lib. IV. de Re Mil. dial. 5. Sic alibi: Deos precatus  
 ita se mactarent, quemadmodum ipse agnum mactasset. Et hæc  
 facta faciebant Fœdiales, Servius ad illud Virgil. Tum certare  
 odiis. Rosin lib. III. Antiq. c. 21. Observamus præterea & dex-  
 tras jungi, osculaque invicem dari solita. Archelaus Philo-  
 sophus apud Appianum Civil. lib. IV. *Ἐπὶ δεξιῶν ἢ τῶν ἀγκυρῶν ἐ-  
 πὶ ἀριστερῶν, ἢ δεξιῶν ἢ ἀριστερῶν, ἀπὸ τοῦ τοῖς πλεονεξίαι ἰσχυροῦς*  
 fœdera jurastis, dedistis dextras, quæ etiam inter hostes valent.  
 Cicero Verrina 5. ubi fides? ubi execrationes? ubi dextra?  
 complexusque? Statius lib. I. Thebaid. Jam pariter coeant  
 amborum in pignora dextra. De Osculo Petronius: In hæc  
 verba fœderibus compositis arma deponimus: & ne residua in  
 animis etiam post jusjurandum ira remaneret, præterita abo-  
 leri osculis placet. Sed hac de re quid pluribus?

CAP. VII.

De

## EFFECTU FEDERUM.

FActam ita conventionem sequitur obligatio, ad ea, quæ pla-  
 cuerunt, sancte ac inviolabiliter servanda præstandaque. In

C 3

fide.

fide enim omnis federis vis consistit, quam si societati humanae  
demas, tollitur necessario omnis commerciorum usus, ut do-  
cet Aristoteles lib. I. Rhetor. cap. 15. Hinc Quintilianus lib.  
II. Infit. Orat. cap. 29. fidem supremum rerum humanarum  
vinculum appellat. Quare bonum Principem nequaquam  
esse judicat Pausanias in Arcadicis: *ὅς τε καὶ ὄρους θεῶν κατεπε-  
νησεν αἰεὶ, καὶ ἀσπονδὰς ἀπὸ πάντων ἐψέδοσε τῶν τε ἡμῶν καὶ  
ἀλλοθῶπων.* Ediverso non immerito Parthorum gentem lau-  
dat Josephus lib. XVIII. Antiq. Jud. cap. 12. quod post datam  
dexteram apud eos nec fallere fas sit, nec diffidere cessantibus  
omnino suspicionibus. De Romanis Sextus Cæcilius Jctus  
apud Gellium lib. XX. cap. 1. Populus, inquit, Romanus è parva  
origine ad tantæ amplitudinis instar emicuit: sed maximè at-  
que præcipue, quod fidem coluit, sanctamque habuit tam pri-  
vatim, quam publicè. Nec eousque saltem ea federum  
religio porrigitur, quo non porro servari ea utile viderur,  
cum ita semper ambigua sociorum salus, nec unquam desi-  
tura dissidentia foret. Pessimè societati rebusque huma-  
nis consulitur, ubi amicitiarum jura non fide, sed successu pon-  
derantur, Justin. lib. XXX. cap. 7. Quotusquisque enim hoc  
pacto opinione pacis securus non opprimi ab altero, vel  
cunctis saltem facultatibus exui posset? Quis non doleat, id,  
in quo præsidium posuit salus & securitas, in velamen fe-  
dissimæ nequitia degenerare? Qua ergo fronte in publi-  
cum ea profiteri ausus es, Machiavelle? Quid? Quo furo-  
ris æstro percitus Clemens VIII. Rom. Præsul Henrico IV.  
Gallia Regi fedus cum Elizabetha Anglia Regina alleganti  
referipfit, nihil sibi Principes non permittere, quod utile esse  
putarent, nec ob fedus neglectum ullos Principes hodie rei  
prehendi. Egregium verò Dei vicarium! Saniori mente Ci-  
cero: Nemo est, inquit, qui non hanc affectionem animi  
probet atque laudet, quæ non modò utilitas nulla quaritur,  
sed contra utilitatem etiam fides conservatur, lib. V. de Fi-  
nibus. Eam verò humanæ fidei lubricitatem cum multi  
perpenderent, de alio vinculo cogitaverunt, quo ea firmius  
alli-



Alligata magis sibi esset cautam. Qua fini saepe desiderati da-  
 tique obsides. Parthorum Rex Phraates filios suos quatuor,  
 & duas eorum uxores, illorumque filios obsides dedit.  
 Alexander R. Maced. fratrem suum Philippum Thebanis pi-  
 gnori obligavit, Orof. lib. III. cap. 12 Sic Franciscus Galliae Rex  
 Karolo V. filiam Henricum fidei suae arrham reliquit. Cui  
 tamen pacto pulchre aptare potuisses verba Aurel. Cassio-  
 dori lib. III. Var. Epist. 4. Quibus obsidibus habeatur fi-  
 des, si non credatur affectibus? In eundem finem idonea  
 quoque cautio est, ut a parte suspecta munitae urbes aut ar-  
 ces aliquot in alterius partis, vel, si hoc minus tutum videat-  
 ur, in tertii cujusdam, veluti sequestris manus ad tempus con-  
 signentur. Plerumque etiam percussa federa contractis si-  
 mul nuptiis stabiliuntur, ut nobilis illa pactio Camerarensis,  
 & qua non ita pridem reconciliari de novo sunt Galli cum  
 Hispanis. Sed propediem hac de re pluribus acturus est  
 Nobilissimus Juvenis, Rudolphus à Bünaw, contubernalis  
 meus suavissimus, in Dissertatione de Desponsationibus  
 Illustrium. Vide interim Jo. Freinshemium ad lib. X. Curtii,  
 cap. 3. n. 12. An cum hereticis, item, an vi metuve conven-  
 ta federa utrinque servanda sint? quaestiones trita sunt,  
 calidisque plurimorum studiis agitatae. Sufficiat nobis  
 utramque haec adfirmasse, moderamine tamen adhibito,  
 quod in conflictu, si res ita feret, explicabimus. Imò eti-  
 am, licet vel maximè conditiones oppido impares, & ab al-  
 tera parte paulum iniquae. Quamquam & imprudentis  
 esse non negem, ad eas angustias aliquem constringere &  
 coarctare. Cum è Privernatibus Consul Romanus quaere-  
 ret, quam cum ipsis pacem habituri essent, argute respon-  
 derunt: Si bonam dederitis, firmam & perpetuam: sin ma-  
 lam, brevem & incertam, teste Livio, lib. VIII. cap. 21.  
 Vide omnino Forstnerum ad Annales Taciti, p. m. 243. seqq.  
 Cste-

Ceterum ex mente potius contrahentium hæc pacta sunt ser-  
vanda, & quod actum esse è scopo totaque serie negotii adpa-  
reat. Hinc verba quædam ambigua contra naturam federis  
torquere & interpretari, non fidem servare est, sed vasro com-  
mento pacta eludere, & perfidiæ querere velamentum. Per-  
juri sunt, inquit Augustinus Epist. CC. XXIV. qui servatis ver-  
bis expectationem eorum, quibus juratum est, deceperunt.  
Thracæ certè, pacis aliquot dierum induciis, cum noctu ex-  
cursionem agerent, ruptæ fidei scelus perinde contrahebant.  
Strab. lib. VII. Geograph. Lege Grotium lib. III. cap. 16. Ca-  
saubonum Epist. 70. ad Frontonem, & Boxhornium lib. I. In-  
stit. Polit. cap. 13.

CAP. VIII. & Ultimum.

De  
FEDERUM SOLUTIONE.

Cùm nihil tam naturale sit, quam eo genere unumquodque  
dissolvi, quo colligatum est, & federa, qua mutuo pacis-  
centium consensu fiunt, non nisi eodem certum est finiri. Sic  
si in diem vel conditionis eventum constituta sunt, quarum il-  
la speciali nomine induciæ dicuntur, positæ iis ipso jure eva-  
nescunt, cum consensus ulterius non extendatur. Adhæc  
quoque si materia federis non perpetua sit, extincta ea, id-  
ipsum quoque extingvetur. Sed numquid consensus alter-  
utrius ad dissolvendum istud sufficit? Neutriquam verò, si fo-  
lum actum dissentienti per se consideres, cum nec unius volun-  
tate obligatio nasci possit. Ceteroquin si dissentium hunc in  
terminis positivis spectes, quatenus simul ab una parte ea pe-  
tuntur ac violantur, de quibus federe convenit, cum singula e-  
jus capita conditionis vim habeant, & altera pars hoc vinculo  
liberabitur. Hinc illud apud Thucydidem lib. I. Soluti  
federis culpam sustinent, non qui deserti ad alios se conferunt,  
sed qui, quam jurati promiserant, opem re non præstant. Quod  
verò limitandum erit, primò, nisi aliter convenerit, quod fieri  
interdum solet, ne ob quasvis offensas à federe discedere liceat.  
Gro

Grotius lib. II. cap. 15. Secundo, nisi levis admodum offensa fuerit, quam contemnere potius generosi est; unde Jarchas, sapiens ille Indus, apud Philostratum lib. III. cap. 6. laudabat Regem, qui læsus à federato & παρέλυσε τὰς ὄρκους, non discessit à jurata fide, tam sancte se jurasse dicens, ut alteri ne post acceptam quidem injuriam nociturus esset. Maximè si non ἐκ ἀποπροσέσεως, animoque offendendi facta. Tertio denique, si non ab ipso Principe, ejusve jussu ab alio, aut ex communi decreto. Hinc in formula federis superius è Livio exscripta disertim Romani cavebant, eatenus se perjurii poenæ subijcere, si publico consilio à federe defecerint. Secus igitur, si quid à privato ausu proprio contra fedus fiat, qui tamen, nisi ejus sceleris participem se civitas esse velit, aut puniri ideò, aut ad poenam dedi debet. Cæsarem hostibus dedendum esse ob illarum injustè bellum, Carò sæpè in Senatu censuit. Et Lacedæmonii ob non deditos, qui missis ad sacrum virginibus vim intulerant, bellum Messeniis indixerunt. Conf. Cl. Boxhornii Disp. III. de Imp. Roman. th. II. & ibi Dn. Prasidi notata. Ne tamen impune esset hoc ruptæ fidei flagitium, justo bello ab eo vindicandum voluerunt gentes, in quem patratum est. Vide sæpe laudatum Grotium lib. I. cap. 3. §. 21. Nisi tamen tempestiviter factæ injuriæ nomine satisfiat. Certè Helvetii omni culpâ levabantur, cum Karolo Burgundo de curru ovium pellibus onusto ademptoque Mercatoribus satisfactionem offerrent. apud Phil. Cominæum, lib. VII.

Δ. Θ. Τ.

COROLLARIA.

I.

Justitia particularis ab universali differt, ut species à Genere. Quid ergò est, quod *Aristoteles lib. V. Eth. c. 2.* ait: *μέρϑ αὐτῆ ἡ ἀδικία τῆς ὅλης ἀδικίας. ὁμοίως τε καὶ ἡ δικαιοσύνη τῆς δικαιοσύνης?* Annon ergò potius, ut pars à toto?

II.

Omne justum est, quod legibus comprehenditur. *Contra Ciceronem lib. 2. de LL. & lib. 3. de Repub.*

D

III. Verbo



## III.

Verbo *συναλλαγήματα* Aristoteles non tantum contractum permutatorium, quod male ipsi affingit *Hugo Grotius*, imò non tantum quosvis alios contractus, sed delicta quoque & omnia civilia negotia, testamenta, nuptias &c. videtur complexus.

## IV.

Non ad omnem imperii alienationem requiritur consensus populi, contra eundem *Grotium lib. 2. de Jur. Bell. & Pac. c. 6. n. 4.*

## V.

Malè *Dn. Conring. de Germanici imp. finib.* negat, ullis priscis monumentis referri, *Rolando Duce Karolum Magnum* in expugnandis Saxonibus usum. Id enim omnino affirmat *Sabellicus Ennead. 8. lib. 3. & Cuspinianus in Karolo M.*

## VI.

Fœdus, ut alii quamplurimi, error est *Thomæ Hobbes de Civ. tit. libert. n. 14.* quo statuit, potentiam certam & irresistibilem jus conferre regendi imperandique in eos, qui resistere non possunt.

EST decus, esse satum claro de sanguine, avosq;  
Ordine non rupto posse referre suos.  
Sed decus est majus, multo quæ sita labore  
si virtus ornet nobile stirpe genus.  
Hoc, *Reipolde*, sciens, prædoctræ Palladis artes  
ingenuas curâ fervidiore colis.  
Perge: decus Tibi quod peperit prælustri avorum  
virtus, augebis nobilitate novâ.

*Generoso & Nobilissimo Dn. Respondenti, Convictori  
& Inquilino suo per dilecto honoris ergo deprop.  
Johannes Musæus D. & P. P.  
GENÈ.*

4.

GENEROSO ET NOBILISSIMO  
DN. JO. JOACH. à REIBOLD,

EQ. VARISCO  
Amico & Contubernali suo  
d!

Sunt duo, quæ faciunt, ut quis sit nobilis, ARS, MARS;  
Major ab Arte venit gloria, Marte minor.  
Ingenii, Generose, tui tam est vividus ardor,  
Ut spernas summo quodlibet inferius.  
Hinc tuus in studia affectus! Quo credo futurum,  
Non simulatus honor nomen ad astra ferat.

*ita ominor*

PRÆSES.

---

Jamjam per totum volitat tua splendida virtus  
Fontem Musarum, generoso stemmate Nate,  
Dum cathedram scandis magnâ cum laude, Camœnæ,  
Pierides, Musæ, pariter studiosa juvenus,  
Te faustum clamant, quid? quod prosperrima quæq;  
Optant ex animò, Deus ut bene cœpta secundet,  
Atque adeò sacræ prudenter culmina summa  
Justitiæ aspices. Posthæc tibi fama perennis.  
Tu Deus altipotens, mihi sis præsto ut quoq; possim  
Tollere REIBOLDI nomen, per carmen ad astra  
REIBOLDUS vivat! vivat sine crimine semper!

*à Gz.*

Rudolphus Henricus à Tümping.

---

**L**iegend hat dich angetrieben  
Daß du dieses hast geschrieben

Zwar

Zwar nicht ohne Müh und Schweiß:  
Dieses wird dir Zeugniß geben/  
Daß du hie in deinem Leben  
angewendet grossen Fleiß.

Grosser Ruhm wird dich erzeigen/  
und dir wiederum erzeien  
alle Müh mit reicher Hand/  
Fama wird auffihren Wagen/  
Freund/dein Lob und Namen tragen  
über alle See und Land.

Flora will zum Kranze pflichten  
Und hiermit dein Haupt beschmücken/  
Weil diß ist der Tugend-Kron:  
Alle die nach Tugend trachten/  
und das niedrige verachten/  
die erlangen solchen Lohn.

Fahre fort / nimm zu mit Ehren/  
niemand wird dir's können wehren/  
daß du's andern thust zuvor  
an Verstand und hohen Sinnen/  
ja dein löbliches Beginnen  
preisst der ganze Mufen-Chor:

Welche schon mit vollen schreien  
wünschen / daß es wohlgedeien  
möge dir und deinem Stand.  
Selbst der Himmel wird bescheren  
daß du kants mit Ruhm vermehren/  
dein gepriesnes Vaterland.

Aus wohlgeneigter Freundschaft/schriebs seinem Hoch-  
geehrten Herrn Saiben- und Tischgeßellen  
Rudolph von Büнау B. A. M.







Jena, Diss., 1667


ULB Halle  
003 742 822


3



f  
sb.

V217





B.I.G.

Farbkarte #13

4.

1661, 18

20

38.

I B U S

ELIO, Lips  
U. C.

Reibold /  
us

DC. LXI

GENWALD.